



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXIV. Simoniaë, quæ commisa timetur per Præsentationem ad  
Beneficium cum Promissione Gratitude.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

## CONSILIUM LXIV.

In Dubio Simoniae per Praesentationem  
ad Beneficium Commissae.

## SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. Omnis conventio in Beneficiis est Simoniacae.
3. Simonia committitur, si detur temporale tanquam gratuita compensatio pro Spirituali.
4. Aut tanquam motivum: Secus si ex mera gratitudine.
5. & 6. Varia praesumptiones Simoniae.
7. Deciditur causa ex benigna Interpretatione.

## FACTI SPECIES.

I.



Titius Sacerdos, cum vacaret Parochia N. sollicitat apud Antistitam Parthenonis N. Beneficii illius Patronam, ut ea Parochia conferretur sibi. Affirmat illa, collaturam se ipsi Beneficium, si vellet in annos singulos Triginta florenos illi dare; sic enim usu introductum affirmabat, ut feret; & verò æquum sibi hoc etiam videri, cum & ipsa aliquot frumenti Scaphas per annos singulos relinquat Parocho. At verò Titius, cum videret id absque Simoniae Labe fieri non posse, abnuit condicere in conditionem propositam, conscientiam suam causatus, addit tamen, se aliàs gratum fore. Antistita consentit, attestans nihil se petere, quod conscientiae obligationibus repugnaret. Sic conficitur Instrumentum Praesentationis, & Titius Syngrapham peculiari, propria Manu subscripta, renovat promissionem suam, testaturque exhibendam in posterum gratitudinem Patronae suae, Praesentationem Titius offert Ordinario. Hic eundem instituit, praemisso de more juramento, quo inter alia juravit Titius, quod nulla nova onera velit Ecclesiae suae, & Beneficio imponere, aut permittere, ut imponantur.

## QUÆRITUR.

*An promissio hac de gratitudine, & Praesentatio ad Subscriptio-  
nem facta, non sit Si-  
moniacae?*

2. **U**T certa à dubiis segregentur, suppono  
Supponenda. 1. Tanquam exploratum omnibus, omnem pactio-  
nem, modum, & conditionem sine Pontificio indulto appositam, in Beneficiis Simoniacam esse, etsi de re Spirituali sit talis conditio, pactio, seu modus.

Ita aperte Gloss. in c. ductum. de prabend. in 6. V. liberè. Et in c. significatum. eod. tit. V. itaque, ac docent DD. cum Rebuff. cujus de pacific. possess. num. 118.

clara sunt verba; nam omnis conventio, inquit, in Spiritualibus est Simoniacae. Et Num. 287. v. 4. Beneficium, ait, purè conferri debet, & non sub conditione, nec cum pacto, alioquin est Simonia.

Excipitur conditio, quae Jure inest; hæc enim addi potest, modò addatur etiam eo modo, quo inest. Sic Episcopus, si alicui conferat Beneficium, habenti aliud Beneficium cum priori incompatible, potest hoc illi conferre sub conditione, si resignet alterum,

Suppono 2. Tanquam pariter certum, Simoniam committi, si temporale etiam solum est gratuita compensatio pro Spirituali; nam contrarium expressè damnatum est ab Innocentio XI. Propos. 45. Intelligi autem Decretum hoc Pontificium, & assertio debet, cum obligatio Antidoralis in pactum deducitur. Ratio clara est; quia Simonia committitur, cum pro re Spirituali imponitur onus pretio aestimabile, obligatio autem Antidoralis, in pactum deducta est pretio aestimabilis; quia præter obligationem Antidoralem, & generalem additur nova specialis, & Civilis obligatio. Ergo. Confirmatur à pari cum Usura; nam si deducatur in pactum hujusmodi obligatio Antidoralis in mutuo, committitur verè usura. Ergo etiam Simonia, si tradatur, vel promittatur res Spirituales pro Temporalibus, vel Temporalibus pro Spirituali. Neque obstat, etsi dicas, te hoc postulare solum, aut tradere ut Donum liberale; nam factò contradicis, cum revera in eas Contractum onerosum, & reipla non dones, sed vendas, sicut in simili non dices, quòd is tibi donet vestem, qui dum dicit, se vestem tibi donaturum, petat à te pecuniam tantam, quantum est pretium Vestis. Dixi intelligendum, cum obligatio Antidoralis in pactum deducitur: Si sine pacto hoc fiat, & ratio pretii absit,

Teste Cassiano à S. Elia V. Simonia. num. 2.

Doctoribus disputandum relinquitur, an Simonia sit.

Illung. Theol. Moral. Tract. 5. Disput. 3. art. 2. num. 303.

Simo-

Simoniam ait, esse solam promissionem gratitudinis, ex ratione, quia ipsa promissione jam tollitur obligatio meræ gratitudinis, & subitur nova Fidelitatis, quæ sicut in rebus temporalibus, ratione mutui ultra Sortem promissis, parit usuram, sic in Spiritualibus ob specialem prohibitionem Ecclesiasticam parit Simoniam. Videantur, quæ dixi

*ad libr. 5. Decretal. tit. 3. an. 60.*

ubi quæstio ista latè deducta, & responsio cum Distinctione Autoritate, & ratione stabilita invenietur.

4. Suppono 3. Simoniacum esse, dare Temporale, tanquam motivum pro Spirituali assequendo, vel efficiendo, aut Spirituale pro Temporalis. Contrarium expressè damnatum est ab Innocent. XI.

*proposit. 45. & 46. & constat ex Dicitis tit. 3. cit. num. 71.*

Et ratio est, quod eo ipso, quia temporale datur, & exigitur tanquam motivum conferendi, & efficiendi Spirituale, ipsum Temporale habet rationem pretii; nam illud omne revocatur ad formalitatem pretii, quod ex obligatione est dandum pro re, ex cujus intuitu dicta obligatio fuit inducta: sed quoties per pactum initum datur, & exigitur aliquid, id importat obligationem, ergo &c. Dixi *tanquam motivum*; nam si donetur aliquid merè gratuito, & non ut moveatur alter ad dandum Spirituale; Simonia nulla committitur; quia nulla tunc intercedit Emptio, & Venditio, sed quod datur, merè liberaliter, & spontè datur. Atque hinc Simoniam nullam committit, qui Spiritualem aliquem auctum, & officium exhibenti, ex gratitudine, seu in remunerationem obsequii dat aliquid Temporale; ac pretio aestimabile; nam quod titulo gratitudinis præcisè datur, gratis datur. Imò si tradens aliquid Temporale, petat, ut sibi alter conferat aliquid Spirituale titulo gratitudinis, aut vicissim, nullam committit Simoniam; modò absit intentio imponendi novam aliquam obligationem, quæ ex natura rei non datur. Ratio est, quia talis non petit indebitum, & licitum est ab alio petere, quod alter ex naturali obligatione tenetur præstare. Et confirmatur; nam qui in mutuo petit gratitudinem præcisè, non committit usuram. Ergo nec Simoniam, dum in Traditione rei Temporalis petitur gratitudo.

*Ita Bonac. Disp. 1. de Simon. Quæst. 6. part. 1. n. 6.*

Ubi tamen observat, cavendum esse ab huiusmodi petitionibus, saltem ante collationem doni, & obsequii; quia fieri posset, ut aliunde committeretur peccatum, & ratione Scandalis, quia alii suspicari forte possent peti tanquam pretium, & ratione peculiari committendi Simoniam, quod facile fieri in eiusmodi casibus potest. Ex his ad datam Quæstionem patet Responsio.

5. DICENDUM, si obsequium gratitudinis, quod Titius, nomine suo subscripto

præstiturum Patronæ suæ spondit deductum fuit in pactum, aut assumptum à Titio ut motivum, quo impellatur Patrona ad conferendum sibi Beneficium, promissio hæc, & Præsentatio hæc indubitato fuit Simoniacæ. Patet ex Dicitis; nam Pactum hoc imposuit aliam obligationem, quam præcisè Antidotalem, & consequenter onerosum fuit. Omnis autem obligatio, & pactum onerosum, quod ex natura rei non nascitur, Simonia labe promissionem vitiat. Ergo &c. Difficultas est, quid absolute iudicandum sit in casu dato.

*Bonac. Disp. 1. de Simon. Quæst. 1. §. 2. num. 1.*

Varia assignat capita, ex quibus solvi difficultas potest, cum Dubium est, num commissa sit Simonia. 1. Enim ait, iudicium ferendum esse ex assertionem delinquentis; ipsius enim Testimonio standum est. Ratio est, quia culpa Simonia magna ex parte pendet ex Intentione operantis.

*cap. tuanos. de Simon.*

Et hinc communis DD. Sententia habet; Simoniam non committere, qui promittit dare Spirituale pro Temporalis fictè, & sine animo implendi promissa. Et ratio est, quia Simonia Definitur esse studiosa, id est, deliberata voluntas emendi, & vendendi Temporale pro Spirituali. At qui fictè tantum promittit dare Spirituale pro Temporalis, non habet eiusmodi voluntatem: ergo &c. Quodsi de Intentione sua delinquens testetur, in Foro conscientia sola sufficit ad absolvendum illum à Simonia. Pro foro externo, cum de intentione non iudicet Iudex humanus, sed de facto, idcirco dicit, spectandum esse, an simpliciter vetitum sit intuitu Religionis dare, & accipere aliqua in tali materia, & tali modo, vel non? si primum, præsumitur Simonia, quia constat de Lege, & de actione contra Legem facta. Si secundum, inspicendum est, an adsit aliquis titulus, qui dationem, & acceptionem excuset à Simonia, vel non. Si adest eiusmodi Titulus, cum in facto alterius non præsumatur delictum,

*L. meritò. ff. pro Socio.*

præsumi potest, & debet Temporale dari ex eo titulo, & non tanquam pretium rei Spiritualis. Si nullus adsit probabilis Titulus, sed solum dubitetur, an Traditio rei Temporalis facta sit gratis, & liberaliter Bonac. num. 2. ait, recurrendum esse ad alias conjecturas. Conjecturæ autem, quæ contra liberalem Donationem militant, sunt, si res Temporalis non spontè tradatur; sed exigatur ab eo, qui confert Spirituale, præsertim si præcesserit pactio, & traditio rei temporalis tradendæ; nam ex pacto confurgit obligatio liberali Donationi contraria. Si nulla eiusmodi Conjectura adsit, attendendum ait 1. Qualitatem Personæ, an sit liberalis, an contemptrix divitiarum; an Timorata Conscientia, an honestis moribus, hujus-

hujusmodi enim conjecturae suspicionem Simoniae maxime minuunt. Item, an sit Vir Nobilis, nam in Viro Nobili facile praesumi Donatio potest. 2. Quantitatem Rei Temporalis; nam si tenuis est, censetur liberaliter dari; nemo enim Rem Spiritualem, quae excellentissima est, censetur velle cum re vili conferre; Si magna, non censetur liberaliter dari; quia nullus censetur res suas prodigere. Si Mediocris, recurrendum est ad qualitatem Personae dantis. 3. Tempus, nam si Temporale datur post Collationem factam Rei Spirituales, facile praesumi potest liberalis Donatio, praesertim si mora intercesserit: At si ante Collationem rei Spirituales, suspicionem Simoniae redolet; Videtur enim Tradens pretio velle inducere Collatorem ad Spirituale conferendum. Multo major suspicio est, si Res Temporalis datur, dum Res Spirituales conferuntur; tunc enim videtur dari Temporale in compensationem Rei Spirituales. Ita Bonac. quoad sensum. Ex his lux aliqua ad dissolvendum Casum propositum afulgere potest, sed prius

6.

Disquirendum 1. Qua intentione Titius promiserit, & Patrona Beneficii petierit gratitudinem? 2. Quo Titulo honestari petitio haec, & promissio possit? 3. An non ceneri debeat intercessisse Pactum evergens Obligationem praecise Antidoralem? Ad 1. De intentione utriusque optime praesumi potest; nam ex una parte Titius est Sacerdos doctus, pius, & Conscientiae tenera, & quod Simoniam in hoc noluerit committere, patet ex circumstantiis Casus; nam recusavit petitos à Patrona 30. florenos se salva conscientia dare posse, Juramentum etiam deposuit coram Ordinario, quod nullum novum onus, & Obligationem velit imponere, & permittere imponi Beneficio suo. Igitur ceneri merito potest, dum gratitudinem promisit, & hoc promissum scripto declaravit, non aliam imponere sibi voluisse Obligationem, nisi praecise Antidoralem; quae Jure Naturae datur; Atqui ut supra dixi, licite aliquis promittit, quod Jure Naturae praestare debet. Ergo &c. Ex altera parte de intentione Antistitae, major videtur esse difficultas; nam dum primo Pecunias certas petit, videtur plus aliquid voluisse, quam Obligationem mere Antidoralem. Ratio est, quia Obligatio Antidoralis est ad placitum rationale recipientis beneficium, non vero de obsequio aliquo determinato: & hinc qui se obligavit ad Obsequium Antidorale; potest quidem temporale aliquid dare, potest tamen etiam mutare illud in aliud Obsequium fundendi preces ad DEUM pro Benefactore. Nihilominus dico, etiam de hujus intentione recte praesumi posse: patet ex eo, quod monita, quod Pecunia petita salva conscientia praestari nequeat, contestata sit, nolle se Obligationem imponere, quae salva consci-


entia non possit suscipi. Neque dicas; quod haec sit protestatio contraria facto, nam concurrente ex una parte voluntate obtinendi temporale, ex altera vero parte proposito non imponendi Obligationem contrariam conscientiae, merito praesumitur ex pietate Collatoris, quod primam voluntatem non voluerit valere aliter, quam quatenus modificatur per secundam. Ad 2. Patet ex Dictis, Traditionem istam, & Promissionem honestari posse Titulo Liberalis Donationis. Talis autem erit, nisi Pactum aliquod intercessit Obligationem praecise Antidoralem evergens. Unde praecipua difficultas est, ut respondeatur. Ad 3. Etsi enim nec Titius, nec Collatrix Beneficii intenderint committere Simoniam, & consequenter uti ex ipsorum bona fide constat, Simoniam formalem non commiserint, potuerunt tamen committere materialem, & talem commiserunt re ipsa, si Pactum aliquod intercessit. Et vero videtur intercessisse ejusmodi Pactum; nam ex una parte dabatur Promissio, & haec quidem per Scripturam authenticam confirmata, ex altera vero parte dabatur Acceptatio. Ergo videtur intercessisse verus Contractus, & hic quidem utraque ex parte onerosus; nam Titius sibi imposuit onus praestandi Obsequium Gratitude, & Collatrix sibi onus conferendi Beneficium. Benignius tamen de utroque sentio; verba enim plus non valent, quam valeat intentio Proferentium; quod autem intentio Proferentium non fuerit, inire Pactum aliquid evergens Obligationem praecise Antidoralem, patet ex modo dictis; nam ex intentione Titii quidem constat, quod noluerit sibi imponere novam Obligationem; ex intentione autem Antistitae partim constat, quod Promissione Titii non fuerit ulla promotivo conferendi Beneficium, cum ex Protestatione illius colligatur, paratam fuisse Beneficium conferre etiam praecisa Conditione omni, quae conscientiam utriusque gravare posset. Ex his omnibus ad Casum propositum

JUDICO, Promissionem Titii de Gratitude, & Praesentationem illius ad Beneficium benignè excusari posse à labe Simoniae, nihil enim est, quod istam commisionem sufficienter esse probet. Non 1. Intentio, quam constat in utroque fuisse alienam à Simoniae labe. Non 2. Promissio data, & acceptata; nam promittere quisvis potest, quod Jure Naturae tenetur facere. Tenetur autem Jure Naturae ad Gratitude, qui accepit Beneficium: ergo etiam in Materia Beneficiali hoc potest, modo Promissio, & Res promissa non sit motivum conferendi rem Spiritualem, quod tamen ostendimus in Casu nostro non fuisse. Non 3. Pactum; nullum enim, ut iterum ex Dictis patet, intercessit Pactum, sed simplex Promissio gratitude, quae locum promittentem ligat, & consequenter Pactum

7.  
Deciso  
Quaestio  
absoluta

Pactum non facit ex utraque parte onerosum. Aliud nihil restat, quod suspicionem Simoniae faciat. Ergo. Addo etiam, quia Decisio Casus in Partem benigniorem solum facta est ex Praesumptionibus, consultum fore, si exquiratur mens Collatricis, qua scilicet mente, & an Promissionem Gratiitudinis imposuerit, non Collatura Beneficium, nisi haec praestaretur; tum enim ipsa absque dubio Simoniam commisisset saltem

materialem, utpote intercedente Pacto ex utraque Parte rigorofo. Consultissimum autem erit impetrare ab ea Syngrapham propria manu subscriptam à Titio, & substituite, si necessarium sit, aliam, quae hujusmodi Promissionem nullam contineat.



## CONSILIUM LXV.

### In Causa Rerum amotarum

à Noverca.

#### SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. Propositum, Pollicitatio, Promissio, Stipulario, Donatio, quomodo differant.
3. Donatio, & Promissio, duplex.
4. Donatio mortis causa, vel inter vivos: Remuneratoria, vel mere Liberalis.
5. 6. Deciditur male subtracta esse, qua promissa erant.
7. Reus legitime interrogatus tenetur Veritatem fateri.
8. Secus si non interrogetur legitime.
9. In quo Casu liceat uti Amphibologia.
10. Uxor non tenetur fateri, se ex rebus Mariti aliquid amovisse, nisi Judex queras ex sufficientibus Indiciis.
11. Res aliena, qua bona fide possidetur, bona Conscientia retinetur: Secus si mala fide.
12. Qui bona fide consumpsit rem alienam, non tenetur ad restitutionem, nisi sit factus ditor.
13. Deciditur Causa.

#### FACTI SPECIES.

I.



Ajus homo locuples, mortua prima Uxore, ex qua suscepit quinque Liberos, transit ad secunda Vota, & in Matrimonium ducit Liviam. Cum hac pacifice plurimos annos vivit, & illa eidem studiosè inservit, sed Prolem ex eo non suscipit. Caju, cum æstimaret Uxoris servitiam, sæpe eidem promittit, præsertim cum liberalius perpotasset, se honestam illi in Testamento Portionem relicturam in Remunerationem Obsequiorum, Amoris & Fidelitatis. Verum ille morte præventus moritur intestatus. Livia, quia colligere ex verbis Caji sæpius repetitis potuit, Donationem, vel Legatum, si Testamentum potuisset Maritus condere, ascensurum fuisse ad mille, & amplius Florenos, clam subtrahit quingentos, modestam se pro spe sua concepta adhuc existimans: his addit Supellecilia quadam, valorem centum aliorum Florenorum æquantia: ultima ista Subtractio innotuit Filiis; igitur causa com-

R.P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

muni facta, conveniunt illam coram Judice de Rebus amotis. Subtractionem Supellectilium negare non potuit, quia in oculis Filiorum erat. Imponitur ergo illi à Judice Juramentum, an nihil aliud amovisset, & illa credens se Jure possidere quingentos memoratos Florenos, jurat præter dictam Supellectilium nihil se habere, subintelligens sine bono Titulo. Tandem Sententia pro ipsa fertur à Judice: sed Liberi non acquiescentes Sententiæ, appellant ad Judicem Superiorem, qui iterum cognoscit Causam, & lata adversus Liviam Sententiâ eam ad Expensas condemnat, simulque ad restituendam Supellectilium subtractam. Expensæ communes pro Lite ista ascenderant ad quingentos Florenos, & has Livia solvit integras pro se nempe, & Filiis.

#### QUÆRITUR I.

*An Jure subtrahere, & retinere Livia poterit quingentos istos Florenos?*

Solutio hujus Quæstionis plurimum pendet, an verba illa Caji toties repetita ad Uxorem Liviam vim habuerint Donationis, Prænotanda.

R r r

an tan- da.